

Rome, 26 septembre 1601.

*Nicol. Christoph. Radzivil*

✓ Illustrissime Princeps. Ego Dominationem V. Ill<sup>mam</sup> pignoribus meis onerare dicor: re autem ipsa vestris pignoribus, iisque nobilissimis oneror. Et quamquam agnosco in his muneribus propensionem erga me vestram, et gratias, ut par est, ago; tamen propositum mihi est,  
 ✓ vacuas manus à muneribus gerere, atque hactenus pretiosa dona principum Virorum recusavi, vel remisi: quod meum institutum cum D.V. servare nolui, nè tam procul pretiosae illae pelles reportandae essent. Sed obnixe rogo, ut si me amat, talia amplius ad me non mittat, nisi velit ea à me distrahi, et pretium pauperibus erogari: quod et <sup>de</sup> his,  
 ✓ quae nunc misit, facere cogito. Georgium Alexandrum familiarem Illustrißimae Dominationis vestrae libentissime vidi, et negotia, quae perficienda detulit, optima voluntate complexus sum. Quod attinet ad plenariam Indulgentiam; Sanctissimus Dominus Noster jam dudum decrevit non esse concedendam deinceps, nisi maximis <sup>de</sup> causis. Itaque  
 ✓ Cardinali Mattheo, qui primus, ut inter nos conveneramus, de hac re mentionem fecit, Summus Pontifex praecisè respondit, indulgentiam aliquam libenter se daturum, sed non plenariam. Reliqua negotia, quae per Dominum Marcellum Vestrum Secretarium expedienda erant, brevi, ut spero, conficientur omnia: nam idem Secretarius tum à Cardinali Mattheo, tum à me rogatus, ea se quamprimum expediturum promisit. Laudatio pietatem, et religionem animi vestri, quae spirat in iis, quae à Summo Pontifice tanta solicitudine postulatis, et de qua cum ab aliis multis, tum ab hoc ipso Domino Georgio Alessandro certior factus sum. Deus optimus maximus eam pietatem in pectore vestro confirmet, et augeat. Valeat Illustrissima Dominatio vestra, et mea opera, si qua in re opus fuerit, libere utatur. Romae die 26 Sept. 1601.

Fuligatti, Epp.famil. XIV.